UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Ordinis Effectus & Ministerium

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

non quos ignorat, cui opinioni libenter adhæreo *reſ. 66. cit.*

Aut Ordinem conſecrat invalidè.

51 Epiſcopus, qui Ordinem invalidè contuliſſet, ſecundùm Ochagaviam *de Sacram. tractat. 2. quæſt. 41. numero 6.* teneretur manifeſtare defectum etiam cum periculo honoris & vitæ. Id quod verum exiſtimo quoad collationem Presbyteratus, vel Epiſcopatus, propter damna, quæ inde imminerent: nam Ordines inferiores ſupplentur per Sacerdotium, vt diximus cum Granado *nu. 4. & 5 part. 5. tract 13. reſ. 55.*

ORDINIS EFFECTVS, *& Miniſterium.*

Ordo omnis confert gratiam, characterem, & privilegia fori, & canonis. Sacer autẽ inducit obligationem Officii divini & cœlibatus.

52 ✠ COmmunes omnium Ordinum effectus ſunt; conferre gratiam ex opere operato, imprimere characterem, & ſecum trahere privilegium canonis, & fori, de quibus dictum eſt *verb. Clericus:* & *v. Excommunicationes.* Sacrorum autem ſeu maiorum Ordinũ proprium eſt, trahere ſecum obligationem recitandi horas canonicas, & ſervandi cœlibatum, & de prima dictum eſt *verb. Hora canonica,* de ſecunda, an etiam inſurgat quando Ordo ſuſcipitur per vim & metum, diximus *verb. Impedimenta numero 14.* Item impediunt vſum artis medicinæ, non ſolùm Chirurgiæ, quæ per cap. *ſententiam, ne cler. vel mon.* prohibetur etiam Clericis in minoribus; ſed etiam Phyſicæ, quæ ſolis prohibetur conſtitutis in Sacris, aut beneficiatis abſque diſpenſatione Pontificis, vt docet noviſſimè Squillante *de oblig. cler. part. 2. dub. 17. numero 52.* tum ex *cap. 2. de poſtul.* tum quia minoribus Phyſica nuſquam reperitur interdicta. Adde, quod etiam Sacerdotes & beneficiarii poſſunt aliquando miſerabilibus & conſanguineis gratis mederi, vt docet Novarius *de priv. perſ. miſ. priv. 83. par. 6. tr. 7. reſ. 50.*

Miniſtrare in ordinibus cum peccato mortali, an mortale.

33 Miniſtrare in Ordinibus cum peccato mortali, quoad omnes Ordines eſt mortale, ſecundùm Fabrum *in 4. diſt. 24, quæſt. 1. diſputat. 1. cap. 3. numero 80.* vnde & peccare mortaliter putat Acolytos, ferentes ſolemniter cereos in mortali. Sed ego id nego: non ſolùm cum Cabrera *in 3 part. q. 64. artic. 6. diſp. 1. §. 6. num. 55.* quoad Ordines minores, qui vel non ſunt Sacramenta, vel eorum officia in genere ſacri miniſterii non ſunt perfecta *part. 3 tr. 4. reſ. 196.* Sed etiam cum Villalobos *tom. 1. tractat. 4. diff 20 num, 7* & aliis, contra ipſum *ibid. numer 48.* de Diacono & Subdiacono canentibus Evangelium & Epiſtolam: quia talis cantus non eſt diſpenſatio meritorum Chriſti, vt collatio Sacramenti, nec eſt actus adeò ſanctus, vt cum tanta obligatione exerceri debeat in gratia. Id quod procedit contra Filliucium *tom. 1. tractat 1. cap. 6. num. 87.* etiamſi multoties id fiat, quia multa venialia nunquam coaleſcunt in vnum mortale, nec ex propoſito faciendi multa venialia colligitur mortalis Sacramenti contẽptus. Adde quod Diaconus miniſtrans Euchariſtiam in mortali, non peccat mortaliter, & contra Navarrum *cap. 27. num 163.* nec Sacerdos dicens in Choro Capitulum aut collectam in peccato mortali *part. 3. tractat. 4. reſol 195. & 196.* De Miniſtris Sacramentorum, vide V. *Sacramentum:* Quando nam ex iniquo Ordinum miniſterio incurratur irregularitas, vide V. *Irregularitas, à n. 31.*

O S C V L A.

Oſcula prohibita ſolutis ſub mortali.

1 OScula inter ſolutos prohibentur in ſexto præcepto Decalogi, *Non mœchaberis,* vbi prohibentur tam actus conſummati in genere luxuriæ, quàm inchoati, qui ad illos ordinantur. Nec in his datur paruitas materiæ, vt dictum eſt V. *Luxuria numero 3.* vbi etiam invenies, omnia oſcula eſſe libidinoſa, & mortifera. Sunt tamen omnia eiuſdem ſpeciei, vt dictũ eſt V. *Circumſtantia, num. 28.* An autem oſcula, & tactus licita ſint ſponſis de futuro, aut coniugibus cum periculo

Eiuſdem ſpeciei.

An etiam ſponſis?

culo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN